

906.



- 1.) Just Henig Bochner de jure episcopali principum Evangelicorum
- 2.) Joh. Pet. Ludewig de praecipuis principis Evangelicorum
- 3.) J. H. Bochner de jure sacro et profano circa infidelis.
- 4.) Jd. de jure liturgico
- 5.) Ejusd. juris patronatus genuina representatio.
- 6.) J. Pet. Ludewig de nominatore heretico ad parochiam
- 7.) J. H. Bochner de sanctitate ecclesiarum
- 8.) Jd. de jure et onere reficiendi ecclesiarum.
- 9.) Jd. de jure exigendi coemeterium
- 10.) Jd. de jure denegandi communionem coemeteriorum
- 11.) J. de jure principum protestantium circa solennia matrimonii
- 12.) J. P. à Ludewig differentia juris R. et G. in connubiali in-  
terio consensuque parentum.
- 13.) Just Henig Bochner de matrimonio coacto.
- 14.) J. P. à Ludewig differentia J. R. et G. in consensu con-  
nubiali extra patrem.
- 15.) J. H. Bochner de jure Principis circa Divortia.
- 16.) Joh. Frid. Kayser fundamenta doctrinae de Divortio.
- 17.) J. M. Langii Curatoris sup. für Gumburgum jure naturali  
traktat.
- 18.) Joh. Frid. Kayser Gumburgensis juris digne Schrift

- 19.) Jurt. Hennig Bochner de clericis debitoribus.
- 20.) Id. de jure circa jejunantes
- 21.) Joh. Petr. à Ludewig Differentia Juris communis  
et Saxonici in Simultanea investitura
- 22.) Id. de prerogatione investiturae.
- 23.) Ejusd. clericus exul <sup>succedens</sup> in fensa et principatus
- 24.) Nic. Hier. Gundling de causa unionis Electoralis.
- 25.) Id. an nobilitet venet.
- 26.) J. P. Ludewig Differentia Juris R. et G. in Dignitate  
uxores
27. Ejusd. Differentia J. R. et G. in dote mariti
28. Ejusd. Differentia J. R. et G. in dote et donatione  
propter nuptias
- 29.) Nic. Hier. Gundling de emptione uxorum dote et Mor-  
gengaba.
- 30.) J. P. à Ludewig Differentia Juris communis et Sufati  
in legitima atq; dote seu Ejusd. Hliffel.
- 31.) J. F. Ludewig de testimonio Vasalli in causa  
Domini.

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS 31  
*DE*  
**TESTIMONIO**  
**VASALLI**  
*IN*  
**CAVSSA DOMINI,**

*QVAM*  
DEO T. O. M. ADVENTE,  
CONSENSU ILLUSTRIS JURISCONSULTORUM  
ORDINIS  
IN ALMA FRIDERICIANA,  
PRÆSIDE

**JACOB. FRIDERIC. LVDOVICI, D.**  
POTENTISS. REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO AVLICO  
ET PROF. PUBL. ORDIN.

**PRO GRADU DOCTORIS**

LEGITIME CONSEQUENDO,  
AD D. XXX. SEPTEMBR. MDCCXIX.  
H. L. Q. consuetis,  
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI  
SUBMITTIT

**JOHANNES ANDREAS Schöb!**  
GOTHA-THURINGUS.

---

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,  
TYPIS JOHANNIS GRUNERI, Acad. Typ.

30.

DISSE TATIO JURIDICA IN AERIALIS

# TESTIMONIO

## VASSALLI

IN

### CAUSA DOMINII

EX

DOCTO M. ADVENTU

CONSENSU ILLUSTRIS JURISCONSULTORUM

ORDINIS

IN ALMA SVEVICIANA

ET ESSE

JACOB FRIDERIC LUDOVIGI D.

IN HUIUS REBUS ON DE JURE

ET REBUS

PRO GRADU DOCTORIS

LEGITIME CONSECUTIO

AD D. P. M. T. M. S. M. S. M.

FRACIO FRADICORUM

SPATIUM

JOHANNES ANTONIUS

DOCT. JURIS

WASS HADDEBROICH  
TITUS JOHANNES GUNTER ABBAT

13





DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
DE  
**TESTIMONIO VASALLI**  
IN CAUSSA DOMINI.

CAPUT I.  
*Terminos in rubro positos ex-  
planat.*

CONTENTA HUIUS CAPITIS.

**P**robatio est vel artificialis, vel inartificialis. In pre-  
senti dissertatione pertractatur casus ad materiam  
de probatione inartificiali per testes faciendâ spectans,  
§. I. non omnes promiscue ad ferendum testimonium  
admittuntur. Hic in specie quaeritur: an vasallus in  
caussa domini testis esse possit? §. II. vasallus unde di-  
catur? ejus descriptio, §. III. dominus in cuius caus-  
sa vasallus testimonium dicere debet, vocatur dire-  
ctus, §. IV. causa est vel civilis, vel criminalis. De  
utraque quaeritur, §. V. Duo casus in hac materia  
principaliter occurrunt. Primus est, quando domino  
onus

onus probandi incumbit et hic vasallum tamquam testem pro se producere vult, §. VI. alter casus, quando domini directi aduersarius vasallum testem contra dominum producit, §. VII. transitus ad caput secundum, §. VIII.

## §. I.



Um varia facta in vita humana occurrant, quae a nonnullis quidem pro certis habentur, ab aliis vero in dubium vocantur, testimoniis et probationibus opus est, ut de illis factis controuersis fides fiat. Fit autem fides vel per argumenta verosimilia et dicitur *probatio artificialis*, ad quam quidem Lauterbach *comp. jur. tit. ff. de probat.* male argumenta necessaria refert, v. g. si 20. Januar. Tubingæ fui, non fui eodem die Lipsiæ, illis enim parum artis inest: vel per testes & instrumenta, quae *inartificialis* vocatur. Ad nos in præsentem spectat casus aliquis ex materia de probatione inartificiali, quæ per testes expeditur.

## §. II.

Non autem omnes promiscue ad testimonium ferendum inuiti coguntur, nec aliqui, licet velint, ad illud dicendum admittuntur. Hinc Callistratus in *l. 3. pr. ff. de test.* testium fides, inquit, diligenter examinanda est. Ideoque, pergit, in persona eorum exploranda erunt, in primis conditio cuiusque: utrum quis decurio, an plebejus sit, & an honestæ & inculpatae vitæ, an vero notatus quis & reprehensibilis; an



an locuples, vel egenus sit, ut lucri causa quid facile admitat: vel an inimicus sit, aduersus quem testimonium fert; vel amicus ei sit, pro quo testimonium dat. Nobis in praesenti in specie inuestigandum erit, quid hac parte intuitu vasalli obtineat, qui in causis dominum concernentibus tamquam testis examinandus est.

§. III.

Uti alias in vocum originationibus ludunt viri eruditi, dicente du Fresne in *glossar. ad script. med. & infim. latin. voc. Vassi*: ita & intuitu vocabuli *vasalli* ille lus deprehenditur. Alii illud a germanico *Wassen* / ligare, stringere: alii a voce *Gesell* / item *Wasseln* / (risum teneatis amici!) alii a Gothico *Wāset*: alii a *vasario*, quod clientes in vasario, siue suppellectili fuerint: alii a *vade*: alii a Gallico *valet*, quod olim *vaslet* scribebant, cetera, deriuant, v. *Vultej. de feud. l. 1. c. 4. num. 13.* Struui. *S. I. F. c. 5. apbor. 12. du Fresne loc. cit. Rosenthal de feud. c. 1. conclus. 6. n. 10.* Nobis haec dixisse sufficere potest, quod Vasallus sit persona, quae de dominio utili rei alicujus sub lege fidelitatis & regulariter quoque praestandorum seruitiorum a domino inuestita est. Dicitur *Vassallus*, vel *vassus*, domesticus & familiaris principis, vel alterius, illa enim duo vocabula olim promiscue & synonymice fere accepta fuerunt, du Fresne *d. l. Sagittar. antiqu. ducat. Thuring. l. 4. c. 21. §. 3. seqq.* Dicuntur vasalli etiam *Leut*, homines vasallaggio obstricti, iudice Leibnitio a *leuda*, id est recognitione, v. *miscellan. Leibnitiana pag. 425. num. 33.*

§. IV.

Dominus, in cuius causa vasalli testimonium exigitur, huic feudum concessit & ab eo fidelitatem

ac regulariter etiã seruitia exigit. Vocatur dominus *directus*, de quo vocabulo conf. du Fresne *d. gloss. far. voc. directum & directum*, & voce *domini*, ut in rubrica differtationis factum, absolute posita ille intelligitur, vasallum vero dominum utilem vulgo adpellant, quamuis ipsum vocabulum *utile* in textibus juris Longobardici quoad litteram non reperiatur, sed 2. F. 8. dicitur: rei vasallum habere potestatem, ut *tanquam dominus* possit a quolibet possidente sibi *quasi vindicare*, conf. Dn. Præses in *colleg. jur. feud. disp. 2. th. 8.*

## §. V.

Res, siue negotium & *caussa*, (v. Lancellott. *instit. jur. canon. l. 3. tit. 1. ibique Ziegler in not. ad verb. caussa vero.*) de qua agitur atque disceptatur & in qua vasallus testimonium fert, a DD. in *ciuilem & criminalem* diuiditur. Aut enim de interesse mere priuato & pœna leuiori quæstio est in iudiciis, aut de interesse publico & grauiori pœna infligenda. Utroque casu quæstiones facti occurrunt & hinc in præsentî disputatione quoque de utraque *causarum* specie nobis agendum & in singulis capitibus hæc distinctio repetenda erit.

## §. VI.

Antequam vero ad specialia progredimur, duo diuersi casus rite separandi erunt, ut de statu totius controuersiæ eo melius iudicium ferri possit. *Primus* casus, ubi de testimonio vasalli in *caussis domini* quæstio incidit, hic est, quando *ipse dominus directus vel agendo, vel excipiendo, onus probandi in se recipere cogitur*, & tunc vel unius, vel plurium vasallorum testimoniis uti, aduersarius vero vasallum, vel vasallos, ad testimonium dicendum admittere

mittere non vult, & propterea quaestio oritur, quid hac parte de jure statuendum sit?

§. VII.

Alter casus est, quando contra dominum vel actio, vel accusatio instituitur, dominus vero litem negatiue contestatus est, & hinc *aduersarius domini fundamentum actionis, vel accusationis suae contra dominum probare necesse habet*, ad quam probationem perficiendam unius, vel plurium vasallorum testimoniis uti vult, dominus vero contra admissionem vasallorum protestatur, eosque ne quidem volentes hoc casu testimonium dicere posse existimat. Similis casus est, quando loco processus accusatorii per modum inquisitionis in causis criminalibus contra dominum proceditur. Item, quando dominus quidem actor est, aduersarius tamen exceptionem oppositam per vasallorum testimonium probare intendit.

§. IIX.

Atque ita vocabula in rubrica huius dissertationis posita breuiter explanauimus. Pluribus generalioribus missis, ipsam rem statim adgredimur et totam materiam iuxta duos illos casus, quos modo in §. VI. & VII. recensuimus, distincte pertractabimus. Sit ergo

CAPUT II.

*De Testimonio Vasalli pro Domino.*

CONTENTA HUIUS CAPITIS.

**R** Osenthalii opinio de testimonio vasalli pro domino,  
 §. I. Farinacius fusiis hanc materiam pertractat,  
 §. II.

§. II. regula ab eo posita, §. III. limitatio prima, §. IV. secunda, §. V. tertia, §. VI. quarta, §. VII. quinta, §. VIII. sexta, §. IX. septima, §. X. octava, §. XI. nona & decima, §. XII. Mascardi regula, §. XIII. ampliationes & limitationes, §. XIV. nostra sententia. Distinguitur inter causas criminales & civiles, §. XV. in causis criminalibus vasalli testimonium plenam fidem meretur, si dominus eo ad probandam innocentiam suam uti vult, §. XVI. observatio Farinacii, §. XVII. qua rejicitur, §. XVIII. De causis civilibus. Testimonium vasalli plenam fidem meretur, quando de probanda inuestitura nova agitur, §. XIX. distinctio Oldendorpii intuitu aliorum negotiorum civilium, §. XX. qua tamquam insufficientis rejicitur. Nostra sententia. Primus casus quando causa ipsum vasallum concernit, §. XXI. Secundus casus, quando vasallus duos dominos habet, inter quos de re aliqua lis intercedit, §. XXII. Tertius casus, quando dominus cum alio litigat, a quo vasallus nullum feudum habet, & dominus tamen vasalli testimonio contra hunc adversarium uti vult. Si veritas aliter haberi potest, vasallus plane non admittitur, §. XXIII. Si aliter haberi non potest, admittitur quidem, sed non est testis omni exceptione major, §. XXIV. juramentum fidelitatis intuitu huius negotii vasallo a domino est remittendum, §. XXV. examinantur limitationes a Farinacio adductæ & quidem prima, §. XXVI. secunda, §. XXVII. tertia, §. XXVIII. quarta & quinta, §. XXIX. sexta, §. XXX. septima & octava, §. XXXI. nona & decima, §. XXXII. de casu, si pars adversa domini vasallos in casibus permissis contra dominum ut testes produxit.

*duxit, ubi queritur: annon tali casu dominus etiam vasallos pro se ut testes producere possit & an tunc illis plena fides habenda? §. XXXIII. de ampliacionibus & limitationibus Mascardi, §. XXXIV. resolvitur dubium: annon vasallo propterea semper plena fides habenda, quia juramentum fidelitatis a domino ipsi remissum? §. XXXV. vasallus ergo est testis quidem idoneus, sed non classicus, §. XXXVI. effectus testimonii, quod vasallus pro domino tulit, §. XXXVII.*

## §. I.

**E**X illis commentatoribus ad jus feudale Longobardicum, quos nobis inspicere licuit, plerique quaestionem de testimonio vasalli pro domino vel plane praetereunt, vel tamen paucis solum eam tangunt. Rosenthalius in vasto opere *de feudis*, quod synopsis vocat, c. 10. *conclus. 23. num. 37.* haec habet: notes, inquit, etiam vasallos recte pro dominis suis, siue a dominis ipsis productos in testes, non solum in feudalibus, sed etiam in aliis causis testari. Non tamen, addit, plena fides huic testimonio contra non-vasallum in causis non feudalibus haberetur, quanta vero debeat, arbitrio iudicis committendum est. Ergo distinguit Rosenthal. Aut lis est *inter dominum & alium vasallum in causa feudali*, aut vero *inter dominum & extraneum non-vasallum*. Priori casu vasallum pro domino testimonium dicentem testem omnino exceptione majorem esse, non vero posteriori, sed

B

tunc

runcrem ab arbitrio iudicis dependere existimat, v. infra §. XIX.

## §. II.

Fufius pertractat hanc materiam Prosper Farinacius in tract. de testibus quest. 55. inspect. 3. ponendo regulam cum subjectis variis limitationibus, prout ille loquitur. Ut ergo omnem confusionem euitemus, primo illam regulam ejusdemque limitationes breuiter excerpemus & hoc facto deinde singula Farinacii aliorumque adserta ad trutinam veri reuocabimus.

## §. III.

Regula Farinacii d. l. num. 182. hæc est: *Vasallus ratione feudi & sic feudatarius potest esse testis pro domino suo secundum communem DD. opinionem, quam dicunt probari per textus 1. F. 26. 2. F. 2. vers. si enim. 2. F. 32. &c.* Dicit quidem num. 183. glossam & multos DD. contrariam sententiam eamque negatiuam tenere; addit tamen n. 184. non per hoc recedendum esse ab affirmatiua, quippe quæ non solum magis communiter a DD. recepta, sed etiam cum certis declarationibus, quas mox subjicit, magis vera sit.

## §. IV.

Limitat I. dictam regulam, ut procedat *in illo vasallo, qui est obligatus domino ad præstandum certa seruitia tantum & non ad fidelitatem*, tunc enim verum esse adserit, quod vasallus poterit pro ipso domino testificari, ut patet in illis, qui tenent ab ecclesia decimas in feudum, c. *quamuis. X. de decim.* secus in illo, qui est etiam obligatus ad præstandum sacramentum fidelitatis. Cum enim sacramentum habeat in se quandam speciem seruitutis, c. *indignum. X. de*

de re jud. servus autem pro domino testificari nequeat, l. servos C. de testib. ita pariter nec vassallus pro domino suo testificari poterit.

§. V.

Limitat II. num. 187. nisi vassalli persona contrarium suaderet, eum scilicet non esse admittendum in testem. Ideo, p̄rgit, num 188. si vassallus erit bonæ famæ & probatæ vitæ, tunc sine dubio non repellitur a testificatione ad favorem domini, quia iuxta Afflic. decis. 304. n. 14. vassallus virtuosus destruit adfectionem vassallagii propter veritatem. Hæc eo magis procedere dicit num 189. si vassallus ultra bonam famam deponit verisimilia & aliorum testium depositionibus adjuuatur.

§. VI.

Limitat III. num. 191. quando persona domini es-  
set seu, terribilis & talis, quod quando vassalli voluntatem suam adimplere recusant, soleat eis vim inferre & similia facere, unde tunc vassalli pro domino non admittuntur ut testes, in quem finem Felinum, Aufserium, Mascardum aliosque citat.

§. VII.

Limitat IV. num. 192. & 193. ut tunc demum vassalli pro domino in testes admittantur, quando scilicet agitur de probando factum, vel dictum in comitatu, baronia & feudo: tunc enim illi admittuntur tamquam magis informati, & eo magis admittentur, si alii non interfuerint, nisi vassalli, quia tunc pariter, cum veritas aliter haberi, quam per eos, non possit, non improbatur vassallorum testimonium, arg. l. consensu. C. de repud. at secus, si dominus per suos vassallos vellet probare id, quod alibi & extra

tra feudum actum, vel dictum est, quia tunc non admittitur eorum testificatio, cum domino imputandum sit, quare alios non adhibuerit testes.

## §. VIII.

Limitat V. n. 194. seqq. quia etsi vassallus possit pro domino suo testificari, *non tamen potest contra dominum*. Verum, addit, hanc limitationem succedere retenta opinione eorum, qui dixerunt, regulariter vassallum non posse pro suo domino testificari, unde retenta contraria opinione verius dicendum esse putat, vassallum, sicut potest pro domino suo testificari, ita etiam & posse contra eum.

## §. IX.

Limitat VI. num. 197. ut feudatarius possit pro suo domino testificari, *quando feudum*, quod habet, *est paruum*, secus, si magnum. Loco probationis prouocat ad Speculatorem, Gabrielem & confores. Adlegat tamen simul etiam dissentientes n. 198.

## §. X.

Limitat VII. num. 199. quando vassallus deponeret *super re, quam habet in feudum ad ipsius & ad domini commune commodum*, quia tunc ratione interesse, quod habet, sine dubio admittendus non est in testem. Nonnulli ex DD. veteribus, ad quos prouocat, hoc indubitanter verum esse pronunciant.

## §. XI.

Limitat IIX. num. 200. quando ultra vassallagium *concurreret grandis amicitia inter feudatarium & dominum*: nam tunc sine dubio non admitteretur vassallus ad testificandum pro domino juxta DD. iterum ab



ab ipso citatos. Sola amicitia, addit, quando grandis est, repellit testem a testificando.

## §. XII.

Limitat IX. *num. 201.* quia in omnem euentum vasallus, seu feudatarius, pro suo domino *non est testis integra fidei & omni exceptione maior.* Ex qua limitatione *num. 202. X.* infert, ut regula ab ipso posita non procedat, *quando pars (aduersa) suam intentionem probasset per testes non-vasallos*, nam tunc ad probandum contrarium vasalli non erunt ejusdem fidei & probationis, quia in pari numero magis erit credendum non-vasallis, semper enim vasalli praesumuntur habere aliquam adfectionem erga dominum, & ideo ceteris paribus redduntur in hoc impares, dummodo materia sit talis, ut ita possit esse bene nota non-vasallis, sicut vasallis.

## §. XIII.

Eadem fere post Matth. de Afflictis *decis. 304.* habet Mascardus *de probat. vol. 3. concl. 1398.* ponendo regulam, quod vasallus debet admitti ad testificandum pro domino, subijuncta ratione, quia edictum de testibus est prohibitorium, vasallus vero non reperitur prohibitus, *l. i. ff. de test.* ergo permixtus censetur. Quæ quidem ratio eo sensu procedit, quod vasallus quoad verba in legibus Romanis non reperitur prohibitus, quia illæ leges vasallos Longobardorum ignorabant; interim annon talis ratio in jure Romano habeatur, quæ ad vasallos hoc casu applicari possit, de eo infra §. XXXIII. videbimus.

## §. XIV.

*Ampliat hanc regulam Mascardus num. 4. seqq. ut quoque procedat, (1) si dominus & baro habeant*

*merum & mixtum imperium in vasallum*, eo magis (2) si vasallus est ita probata vite, ut non præsumatur dejerare pro domino, & (3) quando ex natura rei, vel negotii alii testes actu, vel habitu haberi non possent, ut de facto in nemore, naui, in conclau, & de his, quae sciri non possunt, nisi per homines domesticos. Limitat ex diuerso adductam regulam, ut non procedat (1) quando altera pars plene probasset per suos testes contrarium de eo, quod dicerent, seu testificarentur testes vasalli, (2) quando persona domini esset terribilis vasallis, v. supra §. VI. (3) quando vasallus vellet deponere super re feudali, quam a domino teneret ad ipsiusmet, vel domini commodum, v. supra §. X. (4) quando vasallus esset multum amicus, vel familiaris domini, v. supra §. XI. & denique (5) ut non procedat in vasallo vili, v. g. si est angarius, vel parangarius, qui ob vilitatem repellitur.

## §. XV.

Nobis necessarium esse videtur, ut ab initio diuersa causarum genera a se inuicem separemus, applicatio enim pro eorum diuersitate etiam diuersa erit. Sunt autem causæ, quæ in iudiciis diuertantur vel *criminales*, quando ad pœnam publicam infligendam agitur, vel *ciuiles*, quæ interessè priuatum concernunt. Adtulimus quidem hanc diuisionem jam supra cap. I. §. V. sed propter mox adducenda ea hoc loco repetenda fuit.

## §. XVI.

Quod causas *criminales* concernit, quando dominus directus ex capite commissi criminis accusatur, vel etiam per modum inquisitionis contra illum proceditur, is vero ad probandam innocentiam suam etiam

etiam vasalli testimonio uti vult: nullum dubium est, quin vasallus in causa domini & pro domino testis idoneus sit ejusque testimonio fides adhiberi debeat, supposito, quod vasallus vir fide dignus & inculpatae vitae sit. Fluit hæc adsertio ex regula DD. vulgo nota, quod ad defensionem rei ejusque innocentiam probandam unicus etiam testis sufficiat & quælibet semiplena probatio pro plena & sufficiente habeatur, & quod ad defensionem inquisiti pater, mater, filius, frater, aliique consanguinei & testes alias inhabiles admitti eorumque depositioni credi debeat, vid. Farinac. *de test. qu. s. 4. n. 117.* & *qu. 63. num. 42.* Carpzou. *prax. crim. qu. 15. n. 75.* & 77. qui alios DD. magno numero citat. Ratio, qua DD. nituntur, hæc est, quoniam pro reo præsumtio bonitatis militat, quæ supplet illud, quod alias perfectioni probationis deesse videbatur, conf. Dn. Præsid. *diff. de præsumptione bonitatis §. 21.*

## §. XVII.

Circa dictam adsertionem, quod pro reo in criminalibus etiam testes alias inhabiles admittantur, sequentia adhuc obseruat Farinacius *d. qu. 63. num. 43.* scilicet, eam procedere dicit, *dummodo probatio innocentie rei non sit contraria probationi fisci & accusatoris.* Hæc satis obscure dicta videntur, quoniam probatio innocentie rei probationi fisci & accusatoris contraria esse debet. Sed subjicit exemplum, quod rem obscuram clariorem reddere debet. Fiscus, inquit, probavit per duos testes, quod Meuius occidit Titium: Meuius probat, quod occidit, sed pro-nocatus, & ad sui defensionem, vel quod vulneratus ab ipso obiit non ex vulnere, sed ex malo regimine.

mine: hoc casu, addit, quia probatio rei est compatibilis cum probatione accusatoris, sufficit ad illius innocentiam & defensionem unicus testis & semiplena probatio, saltem ad hoc, ut non possit condemnari, licet non, quod non possit torqueri. Secus, pergit, si esset incompatibilis & contraria, puta, si per unum testem Meuius vellet probare, quod ipse non occidit Titium, tunc enim probatio fisci & accusatoris tamquam plenior præfertur probationi ipsius rei.

## §. XIIX.

Ita quidem distinguit Farinacius noster, verum rationem differentię solidam non adducit. Regula adhuc salua manet, quod in dubio pro reo fit pronuntiandum, & quod ad condemnationem deueniri non possit, nisi contra eum probationes luce meridiana clariores adferantur. Ast vero si unus testis pro reo est, qui negat ex certa scientia, quod supponimus, reum facinus ipsi imputatum non commisisse: probatio luce meridiana clarior contra ipsum nondum adest, sed causã adhuc dubia manet, & per consequens testimonium vassalli pro domino aliorumque omni exceptione non majorum testium ad minimum alicujus momenti est. Ipse Farinacius huc paulo post num. 44. inclinatur. *Verum, inquit, & isto etiam casu videtur fisci probatio satis obnubilata & obscurata per rei contrariam probationem, & ex hoc saltem eundem reum a pœna ordinaria liberari, videtur fuisse de mente Vulpelli cons. 67. num. 8.* Imo nec quoad prius membrum diuisionis cum Farinacio indistincte sentio, quod scilicet reus, quamuis unus testis alias non omni exceptione major deposuerit, reum ab officio prouocatum, aut vulneratum ex malo regimine mortuum

zum, nihilominus torqueri possit; existimo enim, inquisito loco torturæ potius juramentum purgatorium dictandum esse, si medio eruendi veritatem adhuc opus est, præcipue quando præsumtio ex honesta vita antea facta depositioni testis adminiculatur.

## §. XIX.

Quod causas civiles adinet, ab initio distinguendum esse videtur, utrum de probanda investitura agatur, an vero de alio negotio. Intuitu prioris membri hunc casum ponimus: Titius fundum aliquem possidet ejusque plenum dominium præterdit: ex diuerso autem Meuius dominium directum ejusdem fundi sibi vindicare ac fundamentum hujus vindicationis exinde probare vult, quia Titium de illo fundo inuestiuit. Titius inuestituram factam esse negat, & hinc domino onus probandi incumbit. Quæritur: an hic dominus vasallis testibus uti possit? quæstionem adfirmendam esse censeo, & hoc casu admitto ea, quæ ex Rosenthalio supra h. cap. §. I. adducta, si lis est inter dominum & alium vasallum de causa feudali. Probationem hujus adfirmatiuæ non desumimus ex textibus illis, quos Farinacius pro adstruenda sua thesi generali adferebat supra §. XII. h. cap. illi enim præfertim textus 1. F. 26. & 2. F. 2. vers. si enim, potius agunt de testimonio vasallorum contra dominum inuestituram factam esse negantem, quam pro illo dicendo; sed nostrum fundamentum habetur in textu 2. F. 56. de not. feud. vers. item sciendum, ubi generaliter dicitur, idcirco pares necessarios esse instrumenti inuestituræ, & non alios, ne quid excogitetur falsitatis in perniciem domini, aliis testibus inductis, corruptis forte pecunia, vel odio, vel gratia, que non sunt suspi-

*suspicianda in paribus.* Ergo præsumitur, eos veritatem dicturos esse in hac materia, siue producantur, contra dominum, quia nulla suspicio odii, siue pro domino, quia nulla suspicio gratiæ adest. Pertractant hic alias quidem DD. diuersas adhuc quæstiones, v. g. quid obtineat, si dominus pares curiæ non habeat? si habeat, sed illi absentes, vel inhabiles sint? v. g. pupilli, furiosi, &c. verum illæ quæstiones ad nos in præsentem non pertinent, sed supponimus, dominum vasallos, siue pares curiæ habere, eosque præsentem, & habiles esse. Ceterum conferri de illis quæstionibus potest Vultej. l. 1. c. 7. n. 27. seqq. Struu. S. I. F. cap. 8. aphor. 5. num. 1. seqq.

## §. XX.

Intuitu *aliorum negotiorum civilium* Johannes Oendorpius *de probat. c. 4. n. 22. & 23.* quæstionem: an vasallus pro domino testis esse possit? ex qualitate personæ domini dijudicandam esse censet. Ergo sequentem in modum distinguit. Aut constat palam, dominum esse talem, qui libenter admissurus sit, ut testis veritatem profiteatur. Similiter & testem reputari virum bonum, qui verisimiliter nolit superiorum gratia mentiri: & tunc nihil vetat, admitti vasallum, cessante causâ suspicionis. Aut in confesso est, magistratum tyrannicis moribus esse præditum, quem credendum est inique laturum veritatis testimonium. Quo casu non audietur vasallus, haud dubie metu potestatis concussus, præsertim si homo sit tenuioris sortis, l. *Fulcinus. §. quid sit autem. ff. quib. ex causis. in possess. cat.* Potest enim quis latitare non turpi de causâ, veluti, qui tyranni crudelitatem timet, l. 1. in pr. C. si reit. prouinc. Aut denique, addit,

dit, sub dubio est, qualis sit magistratus, qualis item testis: & tunc tutius, testem non admitti. Conueniunt hæc fere cum illis, quæ supra §. V. & VI. ex Farinacio & §. XIV. ex Mascardo excerptimus.

## §. XXI.

Sed neque hæc distinctio totam materiam exhaurit. Unde nobis ita procedendum esse videtur. *Primus* casus est, *quando causa ipsum vasallum concernit*. Ponamus, Titium a Meuiio de certo quodam fundo inuestitum esse, & sic Meuium pro domino directo, Titium vero pro utili se gerere. Jam tertius quidam, quem Sempronium vocamus, hunc fundum tamquam allodium suum vindicat & per consequens & Meuium directum & Titium utilem dominum esse negat. Actionem contra solum Meuium instituit & hic reprobationem suscepturus Titium tamquam testem producit, quem vero Sempronius inhabilem esse adserit. Hic Titius pro Meuiio testimonium ferre non poterit, quoniam testis in propria causa esset, si enim pronuntiatur deinde, Meuium non esse dominum directum, sed fundum rem allodiam, Titius simul dominium utile amittit, v. l. 10. ff. & C. de test. & conf. supra §. X. & XIV.

## §. XXII.

*Secundus* casus est, *quando vasallus duos dominos habet, inter quos de re aliqua lis intercedit*, & unus ex illis vasallum tamquam testem producit. Hic vasallus testis omni exceptione maior est, si non ex alio capite ut inhabilis recusatur. Adplicari enim hic potest, quod in l. 67. §. 1. ff. de rit. nupt. dicit Tryphoninus, *paræ adfectionis causam suspitionem fraudis amouere*. Vnde etiam frater testificari potest, in-

ter duos fratres, adfinis inter duos adfines, confanguineus inter duos confanguineos, pater inter duos filios, &c. Farinac. *de test. quæst. 54. reg. 1. n. 45. reg. 2. n. 116. & reg. 3. num. 207.* ubi plurimi alii DD. longa ferie adducti reperiuntur.

## §. XXIII.

*Tertius casus nunc sequitur, quando dominus cum alio litigat, a quo vasallus nullum feudum habet, & dominus tamen vasalli testimonio contra hunc aduersarium uti vult, quæritur: an vasallus ut testis admittatur? distinguendum esse censemus. Aut veritas aliter haberi potest, aut non potest. Priori casu plane non admittitur propter reuerentiam, quam personæ domini debet, arg. l. 3. §. 5. ff. de test. & quia idonei non videntur esse testes, quibus imperari potest, ut testes fiant, l. 6. ff. d. tit.*

## §. XXIV.

*Posteriori casu, si veritas aliter haberi non potest, admittitur quidem arg. l. 7. ff. de test. sed non est testis omni exceptione major. Et hæc est ipsa illa limitatio, quam Farinacius supra §. XII. regulæ suæ subnectebat, quæ tamen regulam illam in §. III. positam potius destruit, quam limitat. Regulam enim generalem ponebat, vasallum ratione feudi & sic feudatarium testem pro domino esse posse, eamque glossæ & multis DD. contrariam sententiam tenentibus opponebat. Nullus autem dubito, quin multi illi DD. una cum glossa illam regulam sub adductis hæctenus limitationibus sint amplexuri, confer Calenus in addit. ad Fulu. Pacian. de probat. l. 1. c. 9. verb. habitu & actu.*

## §. XXV.



## VASALLI PRO DOMINO.

41

### §. XXV.

Addendum & hoc est, quod vasallus nec dicto casu aliter ad testimonium ferendum admittatur, nisi ipsi prius iuramentum fidelitatis intuitu hujus negotii a domino remittatur, Joh. Oldendorpius de probat, se&. 2. c. 4. num. 23. Idem obtinet, quando magistratus ciuibus & subditis tamquam testibus usurus est, aut capitulum canonicis, c. 38. X. de testib. in fin. ibi: quia vero, quæ in capitulo aguntur, non facile possunt, nisi per canonicos ipsos probari: volumus, ut ad cautelam absoluatis eosdem, ut vocati ad testimonium libere valeant pro utraque parte testari, conf. Carpouz. p. 1. c. 16. def. 64. n. 4. Brunnem. proc. ciu. c. 20. num. 57. Modest. Pistoris vol. 1. conf. 7. num. 26.

### §. XXVI.

Principia illa, quæ in quinque §§. præcedentibus adtulimus, integram materiam, prout nobis videtur de quæstione: *utrum vasallus in causis civilibus pro domino testis esse queat?* complectuntur. Videamus jam, quid sentiendum sit de illis sic dictis limitatio-nibus, quas supra a §. IV. usque ad §. XIII. ex Farina-nio, & §. XIV. ex Mascardo adduximus. Limitatio I. in §. IV. nullius plane momenti est. Non datur enim in rerum natura ejusmodi vasallus, qui non sit obligatus ad fidelitatem, sed tantum ad præstandum certa seruitia. Fidelitatis præstatio pertinet ad essen-tialia feudi, hæc essentialia vero sine contradictione a feudo abesse non possunt, sicuti nec anima ratio-nalis ab homine salua substantia humana separari pot-est, conf. 2. F. 6. & 7. Ast regeret forsitan Farinacius, iuramentum fidelitatis tamen vasallo a domino re-mitti potest, quo pertinet textus 2. F. 3. in fin. ibi: nisi

C 3

80

eo pacto acquisitum sit ei feudum, ut sine juramento fidelitatis habeatur; sed quid inde? juramentum enim ad modum promittendi solum pertinet, qui rem non variat, interim tamen ipsa promissio fidelitatis manet & manere debet, quoniam illa formam feudi constituit. Hinc in citato textu 2. F. 3. in f. dicitur, quod nulla investitura ei fieri debeat, qui fidelitatem facere recusat, cum a fidelitate feudum dicatur, vel a fide. Ergo expresse ibi distinguitur inter fidelitatem ipsam & juramentum fidelitatis, & deceditur, hoc posterius per pactum remitti posse, neutiquam vero ipsam fidelitatem.

## §. XXVII.

Quod ad II. limitationem in §. V. adinet, ea iterum inutilis est. Quamvis enim vasallus bonæ famæ & probatæ vitæ sit, nihilominus tamen pro teste omni exceptione majore haberi nequit propter arctum illud vinculum, quod inter dominum directum & ipsum intercedit. Ex eodem fundamento etiam non est testis classicus, quamvis talia deponat, quæ verisimilia sunt. Si alii testes haberi possunt: vasallus ad testimonium dicendum plane non admittitur, prout supra §. XIII. ostendimus. Quod si nihilominus de facto admittitur ac simul etiam alii testes classici examinati fuerint illique pro vasalli domino deposuerint: eorum testimonio fides habetur, non autem vasalli depositioni, quippe quæ eo casu superflua est.

## §. XXXIX.

Cadit nunc porro limitatio III. supra in §. VI. §. XIV. num. 2. & §. XVII. & XVIII. scilicet vasallus iterum non est testis omni exceptione major pro domino,

mino, licet persona domini non sit sæua, terribilis nec dominus talis, qui quando vasalli voluntatem ejus adimplere recusant, vim eis inferre & familia facere soleat. Melius hæc limitatio adducitur tamquam ampliatio regulæ nostræ in §. *XXIV.* adductæ, scilicet vasallum non esse testem omni exceptione majorem, eo minus, si dominus talis persona sæua & terribilis est, prout eum describunt Farinacius, Mascardus & Oldendorpius.

§. *XXIX.*

Limitatio IV. in §. *VII.* coincidit cum regula nostra in §. *XXIV.* posita. Non autem sequitur exinde, quod in tali casu vasallus pro teste omni exceptione majore reputandus sit. Limitatio V. in §. *VIII.* plane a scopo abludit. Quæstio enim erat: an vasallus *pro domino* esse queat? quam adfirmat Farinacius, sed limitat, quod non possit esse testis *contra dominum*. Nos de illa quæstione: an admittatur vasallus ad testimonium contra dominum ferendum? in sequenti capite separatim dicemus.

§. *XXX.*

Limitatio VI. in §. *IX.* cessat. Vasallus personæ domini reuerentiam debet, siue feudum sit magnum, siue paruum, & hinc neutro casu testis omni exceptione major est. Auctoritatem Speculatoris, Gabriels & consortium non curamus, rationibus enim pugnandum est, non auctoritatibus. Ergo accedimus dissentientibus illis, quos Farinacius adlegat.

§. *XXXI.*

Limitatio VII. in §. *X.* pertinet ad casum nostrum primum in §. *XXV.* Limitatio IIX. autem in §. *XI.* super-

perflua & otiosa est. Vafallus refertur in numerum testium omni exceptione non majorum, siue ultra vafallagium concurrat grandis amicitia inter feudatarium & dominum, siue non. Sola amicitia, inquit Farinacius, quando grandis est, repellit testem a testificando. Atqui inter omnem vafallum ejusque dominum ejusmodi grandis amicitia intercedere debet, si vafallus non vult feudo priuari, prout proflixè describitur 2. F. 6. § 7. Sex enim semper in memoria habere debet, scilicet *incolumè, tutum, honestum, utile, facile, vel possibile*, quo ultimo indigitatur, ne vafallus id bonum, quod dominus facere leuiter poterat, faciat ei difficile, neue id, quod possibile ei erat, faciat impossibile.

## §. XXXII.

De limitatione IX. in §. XII. jam supra diximus in §. XXIV. Videamus ergo nunc de limitatione X. quam in eodem §. recensuimus. Hanc uero libenter admittimus, quoniam regulam a nobis in d. §. XXIV. positam firmat, quod vafalli semper præsumantur habere aliquam adfectionem erga dominum & ideo non sint testes omni exceptione majores. Quæ addit Farinacius, *dummodo materia sit talis, ut ita possit esse bene nota non-vafallis, sicut vafallis*: ea ad distinctionem pertinent, utrum veritas aliter haberi possit, annon.

## §. XXXIII.

Sed quid de illo casu sentiendum, *si pars aduersa domini vafallos in casibus permissis*, de quibus in capite sequenti, *contra dominum ut testes produxit*, quæritur: *annon hoc casu dominus etiam vafallos pro se ut testes producere possit* & *annon tunc vafallis pro domino depo*

*deponentibus plena fides adhiberi debeat?* quæstionem adhuc negandam esse putamus. Adest enim ratio diuersitatis. Inter dominum & vasallos arcta coniunctio intercedit, non vero inter vasallum & non-dominum. Ergo, si pro domino deponunt, metuendum est, ne hoc ad captandam domini beneuolentiam fecerint, quod in testimonio contra dominum lato secus se habet. Ceterum hoc facile largimur, quod eo casu, si quis vasallos testes contra dominum produxerit, ex rotulo testium publicato autem adpareat, eos vel in totum, vel ex parte pro domino deposuisse: eorum fides a producente in dubium vocari nequeat, sed hic procedit regula: neminem reprobare posse eos, quos semel probauit atque elegit.

## §. XXXIV.

Pleraque, quæ ex Mascardo supra §. XIII. & XIV. adtulimus, simul jam diluta sunt. Scilicet regula in §. XIII. generaliter & crude posita propter ea, quæ hactenus passim & in specie in §. XXIII. diximus, penitus corrui. Ergo inuertimus nos meliori jure ampliationem, quæ habetur in §. XIV. num. 1. quod nempe eo minus vasallus pro domino testis esse possit, si dominus merum & mixtum imperium in vasallum exercent. Quod limitationem sub num. 5. adductam adtinet, repetenda sunt ea, quæ in §. XIX. de differentia inter feudum magnum & paruum diximus. Scilicet vasallus non est testis omni exceptione major, licet non sit vilis, nec angarius, nec parangarius. Ceterum de illis angariis & parangariis v. lac. Gothofred. *ad l. 4. C. Theodos. de curs. publ.* Carol. du Fresne *in glossar. ad scriptor. med. & infim. latin.*

*latin. voc. angaria & parangaria. Ziegler. de jur. majest. l. 2. c. 16. §. 7.*

## §. XXXV.

Resoluendum adhuc unum dubium erit. Diximus supra §. XXV. quod dominus vasallo, antequam hic ad testimonium pro illo ferendum admittitur, juramentum fidelitatis intuitu hujus negotii remittere debeat. Ergo, ut videtur, vasallus testis omni exceptione major est, quia hoc intuitu jam cessat arctum illud vinculum, quod alias inter dominum & vasallum intercedit. Sed repetimus iterum verba Farinacii ex §. XII. quod nempe vasalli semper præsumantur habere aliquam adfectionem erga dominum, quæ adfectio vera manet, quamvis dominus juramentum fidelitatis intuitu alicujus negotii singularis vasallo remiserit. Vasallus nihilominus indignationem domini metuit; si hic ex testimonio vasalli condemnatus fuerit. Noti sunt hominum adfectus. Ergo, inquis forte, vasallum perjurium commississe existimas? bona verba quæso. Cognati aliique quando in casu, ubi veritas aliter haberi nequit, ad dicendum testimonium præstito prius juramento de dicenda veritate admittuntur, nihilominus non faciunt plenam probationem, sed tamen perjurii commissi eos nemo adculpât. Suspicio aliqua saltem adest, quod veritas non ex dolo præcise, sed propter conjunctionem & amicitiam ex imbecillitate humana occultata fuerit, & hæc suspicio minuit fidem testium, quoniam judex corda eorum introspicere nequit.

## §. XXXVI.

## §. XXXVI.

Concludimus ergo adhuc, vassallum in casu, quando veritas aliter haberi nequit, esse quidem testem *idoneum*, sed non *classicum*, siue *omni exceptionem majorem*. Lis hic non est de terminis, sed de re ipsa & diuerso diuersorum casuum effectu. Post Farinacium, Mascardum aliosque materiam hanc perspicue exponit Carpzou. *jurispr. eccles. l. 3. def. 43. num. 2. seqq.* Scilicet testis *idoneus* est, qui ad ferendum testimonium quidem admittitur, sed, prout formula practicorum habet, saluis exceptionibus, id est, qui omni exceptione non est major. Exinde per se confequitur, testem *omni exceptione majorem* esse, cui nulla plane exceptio opponi potest. Ab idoneo teste differt is, qui penitus *inhabilis* est, ille enim ne saluis quidem exceptionibus ut testis admittitur.

## §. XXXVII.

Ex adductis jam facile liquet, quid pronuncian- dum sit, si dominus vassallis testibus usus est, & illi pro domino deposuerunt. Distinguendum est. Si unum saltem testem pro se habet dominus: probationem semiplenam adesse, dici non potest, ad hanc enim requiritur unus testis omni exceptione major, qualis non est vassallus. Ergo aduersa parti iuramentum purgatorium defertur. Quod si vero dominus duos, vel tres vassallos testes pro se habet: probatio semiplena, vel semiplena major adest, & ergo dominus ad iuramentum suppletorium admittitur, conf. Carpzou. *p. 1. c. 23. def. 3. seqq.* Brunnem. *proc. ciu. c. 23. n. 22. seqq.* Quid si quatuor, quinque, vel plures vassalli pro domino deposuerint? probationem plenam adesse existimo.

## CAPUT III.

*De Testimonio Vasalli contra Dominum.*

## CONTENTA HUIUS CAPITIS.

**C**onnexio cum capite precedente. Formatur status controuersie, §. I. de causis criminalibus nullum est dubium & vasallus in illis testimonium contra dominum ferre prohibetur iure Longobardico, §. II. inuitu causarum ciuilium dubium oritur ex textu 2. F. 33. §. 1. refutatur eorum opinio, qui putant, opinionem ultimo loco positam semper reprobata esse, III. opinio Gothofredi & Struuii, §. IV. alii putant, vasallum in causa ciuili indistincte, id est, siue magna, siue modica sit, contra dominum, testem esse posse. Respondetur illis, §. V. & hæc responsio ex ipso iure feudali Longobardico illustratur, §. VI. refellitur adhuc alia opinio, quod scilicet vasallus contra dominum testimonium perhibere possit, modo causa non sit modica, §. VII. nostra opinio, quam & Cujacius fouet, quod textui iuris feudalis Longobardici particula non, sit inferenda, §. VIII. recensentur auctores nobiscum sentientes, §. IX. prohibitio, quod vasallus in causa criminali & ciuili non modica contra dominum testimonium ferre non possit, ad eum casum saltem pertinet, si vasallus sponte hoc facit, non si a iudice coactus, §. X. alie exceptiones, §. XI. an dispositio iuris Longobardici etiam ad status imperii adplicari possit? §. XII. si de probanda inuestitura agitur, vasallus contra dominum testis esse potest,



*potest, §. XIII. De jure feudali Saxonico. Variæ ejus  
lectiones referuntur, §. XIV. Fertur judicium de illis  
& concluditur dissertatio, §. XV. XVI. XVII.*

## §. I.

**V**idimus, vasallum pro domino ad testimoni-  
um ferendum regulariter plane non ad-  
mitti, & si deficientibus aliis testibus ad-  
mittitur, ei tamen plenam fidem non adhiberi; quæ-  
ritur jam, annon contra dominum testimonium dice-  
re possit? ubi quidem hoc extra dubium est, quod ei  
contra dominum deponenti fides omnimodo sit ad-  
hibenda, quia ratio in *cap. præced. §. XXXV.* adducta  
cessat, cardo autem negotii in hoc consistit, an va-  
sallo permissum sit, ut contra dominum testimoni-  
um ferat, & annon, si hoc facit, feloniam commit-  
tat & feudo priuari possit?

## §. II.

Distinguendum & hic est inter causas civiles &  
criminales. Jure Longobardico res certa est vasa-  
llum in *criminali causa* contra dominum testem esse  
neutiquam posse. Quamvis enim *2. F. 33. §. 2.* duæ  
sententiæ intuitu quæstionis, an vasallus contra do-  
minum testari queat, referantur, quoad criminales  
causas tamen utraque eodem recidit. Adponemus  
ipsa textus verba: *similiter vasallus dominum accusa-  
re, vel testimonium contra eum reddere non debet in ci-  
vili causa modica, aut criminali. Quidam tamen di-  
cunt, in criminali non licere, in civili licere: in quibus  
si contra fecerit, feudo priuabitur.*

D 3

§. III.

## §. III.

Dubium ergo de solis caussis *civilibus* remanet, primo enim loco dicitur, vassallum in causa civili modica, contra dominum testimonium reddere non debere, deinde vero subjungitur, in civili causa hoc licere. Quenam sententia nunc eligenda? Hartmannus Pistoris *l. 2. part. poster. qu. 25. num. 30.* dicit, hoc in more positum esse auctoribus juris feudalis, ut opinionem reprobata[m] ultimo loco collocare soleant. Si hæc regula vera esset: lis facile componi posset. Verum enim vero alii DD. jam ostenderunt, quod hæc regula interdum fallat, & hinc præcipue videndum fit, quæ sententia ceteris juris feudalis textibus, aut textu deficiente rationi juris feudalis convenientior. Ita v. g. *2. F. 34. §. si fuerit.* quæstio est: utrum is feloniam committat, qui domino interroganti dubitanter respondet, se nescire, an feudum a domino habeat? primo loco simpliciter dicitur, feloniam non committi & hinc feudum possessori auferri non posse, deinde vero & ultimo loco ponitur, priuationi locum dari, si fraudulenter, id est, sciens ita responderit. Hic opinio ultimo loco posita, non potest pro reprobata haberi, quoniam rationi juris feudalis conuenit. Jus feudale enim feloniam committi adserit, si quis negauerit, se feudum a domino habere. Paria vero sunt, dolose negare, aut respondere, nescio. Ita *2. F. 36.* dicitur, mutum & surdum, cæcum, claudum, vel aliter imperfectum, etiam si sic natus fuerit, totum feudum paternum retinere juxta Obertum & Gerardum & multos alios. Deinde vero subjicitur, quosdam dicere, eum, qui talis natus est, feudum retinere non posse, quia ipse seruire non valet. Quis quæso, hic opinionem ultimo

timo loco positam reprobata esse adfereret, quæ rationi juris feudalis admodum conuenit. Alia exempla alibi occurrunt, v. Anton. *jur. feud. disp. 1. th. 1. lit. k. Stryk. exam. jur. feud. c. 1. qu. 38.* Ergo ex regula illa adducta præsens quæstio decidi nequit.

§. IV.

Dionysius Gothofredus *in not. ad text. 2. F. 33. §. 1.* sensum hunc esse putat: *testis esse aduersus dominum vasallus ultro non potest, in causa ciuili, vel criminali, alia quam feudali, etiam modica.* Inserit ergo particulam *etiam*, ita, ut vox *modica* non restrictionis, sed ampliationis causa sit adjecta. Addit Struuius *S. I. F. c. 11. aphor. 3. num. 3.* hanc Gothofredi interpretationem adiuuare subjectam contrariam sententiam, quæ dicit in ciuili licere. Ea vero ex mente Struuii directe non contradiceret priori, si prioris sensus fuerit, in ciuili licere, excepta causa modica ciuili. Nos Struuius quidem concedimus, quod per insertionem illius particulæ *etiam* oppositio & contradictio eo clarior fiat; nihilominus tamen de interpretatione Gothofredi adhuc dubitamus. Dicit Struuius, Gothofredum dictam particulam ideo adiecisse, ut intelligatur, vocem *modicam* non esse restrictionis causa in textu positam. Ergo sequitur, quod ampliationis causa posita fuerit. Particula *etiam* est implicatiua, quæ implicat casum minus dubium & exprimit casum magis dubium, Strauch. *lexic. partic. jur. voc. etiam.* At vero causa ciuilis modica non pertinet ad casus magis dubios, sed si implicamus causam ciuilem arduam, res euidentissima est, quod eo ipso etiam causa ciuilis modica intelligi

telligi debeat. Ampliationes procedunt a minoribus ad majora, hic vero res inuersa esset.

§. V.

Alii referente Struuio *d. c. ii. aphor. 3. num. 3.* sententiam posteriorem, quæ in *vers. quidam tamen* habetur, quod nempe in causâ ciuili vasallus *indistincte*, testimonium contra dominum dicere possit, propterea amplectendam esse censent, quia non graue & atrox dispendium causâ ciuili inest, valde inconueniens quoque est opinio prior ex mente eorum, dum in ciuili causâ magna testimonii perhibitionem vasallo permittit, non vero in modica. Fatemur quidem, inconuenientem esse, priorem opinionem, prout in textu habetur, quæ vasallum in causâ ciuili magna ad testimonium contra dominum ferendum admittit, non vero in modica; interim tamen non sequitur, ergo vasallus iuxta posteriorem sententiam in quacunque causâ ciuili, magna & modica, indistincte admittendus. Causâ ciuiles magnæ & modicæ toto cælo differunt & magnæ quidem communiter ratione damni exinde prouenientis criminalibus ad censentur. Ita & in iure Romano intuitu fratrum iusta exheredationis causâ est, non solum, si quis per insidias fratri mortem intentauit & criminalem accusationem uertente Haloandro illi impexit, sed quoque, *si uniuersa eum substantia exuere studuit.* Iusta causâ reuocandi donationem est, si donatarius donatori vitæ periculum inferit, vel iacturæ molem ex insidiis suis ingerit, *quæ non leuem sensum substantiæ donatoris imponit, l. f. C. de reuoc. donat.* & in genere DD. inimicitiam capitalem adesse dicunt, quando quis alterum capitis accusat, atrocissimis iniuriis eum adfi-

adfcit, vel *controuerfa inter aliquos de omnibus bonis, vel de majori eorum parte intercedit*, Harpprecht. *ad §. 9. l. de excuf. tut. n. 5.*

§. VI.

Non potest ergo generatim dici, quod cauffa ciuili graue & atrox difpendium non inft, fed arduæ & modicæ cauffæ etiam in ciuilibus merito funt fe- parandæ, & ergo nos illis, qui tam generaliter vafalli testimonium contra dominum admittunt, accedere non possumus. Nam ex ratione ipsius juris feuda- lis Longobardici etiam quantitas damni diuerfa di- uerfam decifionem & adplicationem operatur. Imo ipfa dicti juris verba rem claram faciunt. Ita 2. F. 25. §. 2. inter cauffas amittendi beneficii refertur, fi va- fallus refcierit aliquem contra dominum fuum affal- tum, vel mortem, vel captionem aut *patrimonii gran- dem iacturam* facere molientem, dominum tamen non certiorauit, ut fcians prudensque periculum de- clinare potuerit. Alia cauffa in eodem textu addu- citur, fi vafallus delator domini fui extiterit, & per fuam delationem *graue difpendium* eum fuftinere fe- cerit. Modicum ergo difpendium non fufficit, fed graue fit, neceffe est, & grandis iactura. Prouoca- tur porro in eodem textu ad cauffas ingratiudinis, ex quibus liberi exheredes fcribi poffunt. At vero in *nou. 115. c. 3. §. 7.* damnum quoque indiftincte non confideratur, fed ita dicitur: fi filius delator contra parentes extiterit, & per fuam delationem *grauia eis difpendia* fuftinere fecerit.

§. VII.

Refert adhuc alios Struuius *d. c. 11. aph. 3. n. 3.*  
(cum quibus sentire videtur Bocer. *de jur. & comm.*  
E da-

domini l. 1. c. 2. n. 13. 14.) qui priori in textu relatæ sententiæ præcisè inhærent, ita ut in *causâ civili* vasallo contra dominum testimonium dicere liceat, modo *causâ* non fuerit modica. Mira limitatio. Sed reddunt tamen rationem illius. Cum, inquit, in *causâ modica* non multum proficiat aduersario testimonium vasalli & nihilominus ista *causâ* molestus sit aduersarius domino ipsique negotium facessat, jura feudalia in tali casu vasallum testimonium perhibere noluerunt. Mira ratio. Quacunque *causâ* aduersarius molestus est domino ipsique negotium facessat, in ea vasallus contra dominum testimonium perhibere non potest. Subsumo: atqui *causâ* civili ardua & graui aduersarius molestus est domino ipsique negotium facessat, ergo & in ea vasallus contra dominum testimonium perhibere non potest. Si dicis, in *causâ* modica non multum prodesse aduersario testimonium vasalli; respondeo, hoc plane ad rem non pertinere, sed in præsentia materia eo respiciendum esse, an dominus graue damnum ex *causâ* aliqua sentiat, annon. Et quis etiam iudicabit, utrum *causâ* aliqua multum proficiat aduersario? certe, qui parum in bonis habet & cui res angusta domi forisque est, illi etiam *causâ* respectu ditiorum alias modica multum prodesse poterit.

## §. VIII.

Quid ergo? omnes adductæ explicationes genuino interpretationis fundamento destituuntur. Necessitas itaque requirit, ut cum doctissimo Cujacio de feud. l. 4. tit. 36. statuamus, vocabulum *modica* in textu 2. F. 33. loco motum esse & hinc legi debere: quidam tamen dicunt, in criminali non licere, in civili *modica* licere. Vel, quod eodem recidit, particula non est inse-

inferenda, quo facto hæc regula analogiæ juris feudalis per ante deducta conformis formatur: *vasallus dominum accusare, vel testimonium contra eum reddere non debet in civili causa non modica, aut criminali.*

## §. IX.

Placet hæc interpretatio diuersis celeberrimis DD. Eguinarius Baro in *comm. ad Oberi. Ortenf. consuet. feud. seu de beneficiis. l. 2. tit. 33. §. in quibus etiam causis*. Ita breuibus mentem suam aperit: *contrarie, inquit, sunt opiniones apud Ortensum: sed verius est, si civilis causa grande damnum adferat domino, priuandum esse beneficiarium.* Anton. *disp. feud. 11. th. 4. ibi: testimoniumue contra eum in civili non modica & criminali causa dicat.* Beyer. *delin. jur. feud. c. 8. pos. 14. & c. 9. pos. 12.* Joh. Heluic. Sinold. dictus von Schütz in *colleg. feud. c. 8. p. 149.* sequentia habet: nobis, inquit, antequam sententiam de re ipsa dicamus, obseruandum venit, textum in *d. §. similiter* non uno modo legi, & probabilem Cujacii emendationem esse, qui in posteriori versiculum: *quidam tamen* rejicit, (scilicet vocabulum *modica, V. §. preced.*) Hoc præmissio, pergit, quoad priorem sententiam distinguendum, non admittimus eam, quod nulla ejus solida ratio dari possit, etsi enim hæc vulgo reddatur, (v. supra §. VII. h. cap.) quod in causa modica, quia major adpareat vasalli contemptus, qui tam procaciter ad dicendum testimonium contra dominum proruperit, attamen cum in magna magis noceatur domino & in effectu ipso ad criminalem talis tendere videatur, uti obseruat Finckelth. *disp. 10. controu. 8.* non minus in magna testimonium ejus rejici debet, quam in modica;

dica; imo magis. Plures autoritates congerere necessitas non postulat, confer quos citat Rosenthal *de feud. c. 10. concl. 23. num. 26.* & *in not. lit. f.* add. quoque Hahn *disp. feud. 5. th. 8.* Interim si credimus Rittershusio, quem Hahn *l. c.* adducit, differentia inter causam modicam & magnam usu non est recepta, sed vasalli testimonium utroque casu repudiatur. Sed de hoc satis nondum constat.

## §. X.

Quæ diximus, vasallum in causa criminali & civili non modica testimonium contra dominum dicere non posse: ad eum casum pertinent, si vasallus illud testimonium *spon*te dicere velit. Hoc ergo consilium ipsi suggerunt DD. ut ad testimonium contra dominum ferendum citatus resistat & se, quod contra dominum testari jure nequeat, excuset, imo etiam pro re nata a iudice inferiore ad superiorem appellet. Si vero iudex hujusmodi excusatione non attempta nihilominus instet & vasallum etiam sub comminatione pœnæ urgeat, ut testimonium perhibeat, tunc eum absque periculo criminis felonix testem esse posse dicunt, nihil enim spon

te in præjudicium domini suscipit, Struu. *S. I. F. c. 11. aphor. 3. n. 3.* Jac. de Beluifo *super feud. ad rubr. 2. F. 33. §. similiter.* Sinolt dictus von Schütz *colleg. jur. feud. loc. cit.* Anton. *d. disp. feud. 11. th. 4. litt. e. in not.* Rosenthal *de feud. cap. 10. concl. 23. num. 28.* Dissentit Hahn *d. disp. 5. th. 8. lit. c. & d.* verum ille dissensus facile cessat, si materia ita explicatur, prout nos eam explicauimus. Si vero spon

te testatus esset, feudum amitteret.

## §. XI.



## §. XI.

Alias quoque excipiunt DD. hunc casum, si dominus feudi est persona priuata & vasallus *pro principe, vel republica*, contra ipsum ad testimonium ferendum vocatur, quod nempe tunc sine ullo periculo testis sponte esse possit, quia vinculum inter principem, siue rempublicam & vasallum fortius est, quam illud quod inter vasallum & dominum intercedit, v. Jac. de Beluifo *ad d. rubr. 2. F. 33. §. similiter.* Addit hic autor quoque aliam exceptionem, *si vasallus suam, vel suorum injuriam prosequatur*; sed fateor, me eam non intelligere, quia tunc vasallus testis in propria causa fieret.

## §. XII.

Quæritur: *an dispositio juris Longobardici etiam ad status imperii adplicari queat?* miror justum Sinolt cognom. Schüz in *colleg. publ. de stat. rei roman. disp. 6. th. 30. lit. f.* ita pronunciaffe: *territorium autem feudale ex omnibus causis, ex quibus alias feudum amittitur, (que recensentur & exprimuntur 1. F. 13. 17. & 2. F. 23. 24. 27.) amitti dicendum videtur; quia enim nihil de eo peculiare constitutum reperitur, communibus feudorum regulis id subjacere sequitur, ubi simul prouocat ad Carpzou. de regal. th. 130. & Sixtin. de regal. 1. c. 6. n. 67. Quasi vero juris Longobardici placita communes omnium & in specie imperii feudorum regulæ sint, vel unquam fuerint? recte itaque Schützium illum redarguit Itterus de feud. imper. c. 24. §. 4.*

## §. XIII.

Quemadmodum *cap. preced. §. XIX.* diximus, vafallos eo cafu, *quando de probanda inueftitura agitur*, pro domino testes effe poffe: ita quoque idem obtrinet in cafu inuerfo, ut contra dominum quoque ad testimonium ferendum admittantur, v. g. fi dominus rem a vafallo tamquam allodium vindicet & fic dominium utile vafallo neget, hic vero per alios vafallos probare velit, quod de illa re inueftitus fuerit. Textus huc pertinentes habentur *1. F. 26. 2. F. 2. 32. & 33. Anton. difp. feud. 11. th. 4. lit. e.*

## §. XIV.

Refpeximus haftenus unice ad jus Longobardicum feudale. Videamus nunc quoque de jure germanico. In jure feudali Saxonico (edit. Zobel, de A. 1537.) *c. 72. in f.* ita legitur: Nieman mag auch weggeren zu Lehenrecht orteil zu vinden / gezeug zu fein / vnd vorfprach / wedder der Herre auff den man / vnd der Mann auf den Herren / vnd der mag auf den magen. Habetur ergo hic, vafallum contra dominum testem effe debere & fe excufare non poffe. Confpirat codex veruftus mscr. bibliotheca Paulinae Lipfienfis, quem Schilterus imprimi curauit eumque codici juris alemannici feudalis inferuit, *c. 71. in f.* Niemanen mac auch weggeren zu Lenrechte urteil zu vindene gezug und verfpere zu wefene. Der Herre uff den man und der man uff den Herren / und der mac uff den mac. Item vetus editio des Lehnrechts Augusta Vindelicorum A. 1516. *imprefsa c. 71. in f.* Seyn man mach od weggeren tho Lenrechte ordel tho vinden / getuch vnde vorfprache tho wesen / de Here v

vꝑ den man / vnde de man vꝑ den Heren / vnde de ma-  
 ge vꝑ den imagen. In manuscripto, quod hic Halæ  
 in bibliotheca templi Mariani adseruatur, hoc habe-  
 tur c. 79. *inf.* Neman mach weyghern to Lentrechte or-  
 del to bindene tuch un Vorspreke to wesene. De Here  
 vꝑpen Man un de man vꝑpen Heren un de mach vꝑ-  
 pen mach. In editione Zobelii de A. 1589. c. 72. *inf.* ita  
 in contrarium extat: Es mag auch niemand wegern  
 zu Lehenrecht / zeugniß zu geben / noch zu urteilen /  
 noch auch vorspreche zu sein / ausgenommen der  
 Herr wider den Mann / und der Mann wider den  
 Herrn / und ein blutsfreundt wieder den andern.

## §. XV.

Cum itaque hic ultimus textus ex editione Zo-  
 beliana recentiori prioribus contradicat & cum jure  
 Longobardico conueniat; quæritur: cuiusnam lectio-  
 ni sit standum? In editione de A. 1537. expressè habe-  
 tur, quod jus Saxonium a jure Longobardico re-  
 cedat, ita enim glossator ad verba: *getiuch vnde vor-  
 sprake ths wesene.* Contrarium tamen istius dicitur in  
*libro feudorum c. sacramentum. §. similiter. tit. de con-  
 suetudine recti feudi, ubi dicitur, similiter vasallus do-  
 minum accusare, vel testimonium contra eum reddere  
 non potest in ciuili causa modica vel criminali, li-  
 cet quidam contra in ciuili, alias feudo priuabitur, &c.*  
*Hoc tamen nota circa actionem, quod licet vasallus do-  
 minum accusauerit pro principe, aut pro republica,  
 non tamen ipso priuetur feudo, nec ejus filius exhere-  
 detur, &c.*

## §. XVI.

## §. XVI.

Persuafus eram ab initio, Zobelium in editione de A. 1589. textum juris feudalis Saxonici ex amore erga jus Longobardicum mutasse. Sed iterum mutauit mentem, postquam vir excellentiss. Dn. Ludewig ex bibliotheca sua codicem manuscriptum de An. 1476. communicauit, qui illam Zobelii lectionem confirmat. Ita enim ibi: Nymant en magk ouch wegern zu Lehnrechte orteil zu wynden vnde gekugt zu seynn vnde vorsepreche zu weßenn / ane der Here vff den Man vnde der Man vff den Hern vnde der Mag vff den Magk.

## §. XVII.

Ergo res quidem adhuc propter varias illas lectiones dubia manet. Existimo tamen illam lectionem præferendam esse, quæ vasallum non admittit ad testimonium contra dominum dicendum. Mouet me hoc præcipue, quod quamuis iuxta textus in §. XIV. ab initio adductos, vasallus sententiam in causa domini contra ipsum dominum sententiam ferre possit; contrarium tamen habeatur in Land: R. l. 2. art. 12. Brtel mag ein mann nicht finden vber seinen Herrn / vnd vber seinen Lehenmann vnd vber seinen freund / da es ihnen an ihren leib / oder an ihre gesundheit / oder an ihre ehre gehet. Adparet tamen simul ex verbis hisce ultimis, quod jus Saxonicum simpliciter inter causas ciuiles & criminales distinxerit.

TANTUM.






00 A6452

ULB Halle 3  
002 928 078



*SLB*







DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
*DE*  
**TESTIMONIO**  
**VASALLI**

IN  
**CAVSSA DOMINI,**

*QVAM*  
DEO T. O. M. ADVENTE,  
CONSENSU ILLUSTRIS JURISCONSULTORUM  
ORDINIS

IN ALMA FRIDERICIANA,  
PRÆSIDE

**JACOB. FRIDERIC. LVDOVICI, D.**  
POTENTISS. REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO AVLICO  
ET PROF. PUBL. ORDIN.

**PRO GRADU DOCTORIS**

LEGITIME CONSEQVENDO,

AD D. XXX. SEPTEMBR. MDCC XIX.

H. L. Q. confuctis,

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI  
SUBMITTIT

**JOHANNES ANDREAS Schibb!**  
GOTHA-THURINGUS.

---

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,  
TYPIS JOHANNIS GRUNERI, Acad. Typ.

